Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 845
Quelle:
Copyright:

pulo vnius dei &c. Edidit Tractatum hunc *Bern. Pezius Thes. Anecd.* T. I. P. 2. *col.* 507. e Codice Carthusiae *Gemnic.* in quo pro *Bertholdo Frising.* Ep. legebatur *Gregorius Salsburg.* Praepositus; fieri enim potuit, ut Autor Scriptum istud boni publici caussa ad plures dimitteret; ast, quod ille habebat: *quidam minimus sacræ Theologiæ vocatus Professor*, ubi noster: *Aliquis suorum minimus*, potius facit contra impressum Titulum, in quo *Henricus* rotunde dicitur *Ordinis Carthus.* cujus tam parum fuit, quam *Augustiniani*, ut in P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 36. ostensum est, subfragante clausula coaeva Codicis nostri, qua Tractatus adseritur *Compilatus per egregium sacre Theologie professorem M. Heinr. de hassya Anno domini 1392. Tunc Wyenne regentem in Theologia.* Cum porro Tractatus, ut dixi, jam typis excusus prostet, quod addam, non habeo, nisi quod avidis *Joachimi Abbatis* Indagatoribus commendem *Caput* XI. et XIV. et obiter notem, *Capite* VIII. ubi *Henricus* ait: *Cum essem in partibus*, subplendum esse e Cod. nostro *Rheni.* Praeterea Versus defuere *Pezio*, qui ad calcem nostri sic habent:

Quando finis erit, ignoro, scismatis huius,
Clemens Vrbani quo sexti iura recusat.
Tempus, quo cepit, memori dat grammate versus,
Qui praeit, addendo Centum sine sex minus uno.

Repraesento Versum, qui praeit:

CLeMens VrbanI qVo seXtI IVra reCVsat.

Habes MCCLXXXIII. Adde XCV. id est *Centum sine sex minus uno*, et conficies MCCCLXXVIII. annum, *quo* Schisma *coepit.*

III. *fol.* 160. Ejusdem Epistola: *Amicorum synceriſſime virtutis et scientie meritis Reuerendo Domino E.* (berhardo) *de ypelloni* (Yppelborn) *ecclesie maguntine Decano* &c. De vanitate humanarum Dignitatum, jam *super.* et hoc *Vol.* relata.

IV. *fol.* 163. p. 2. Alia Ejusdem Epistola. *Re^do in christo patri ac domino domino C. &c. Henricus longensteyn dictus de Hassia in medio regni pestilentie suspirans salutem et spiritum fortitudinis consolantem in aduersis. Audiui et conturbatum est cor meum, a uoce contremuerunt labia mea. Ecce rumor infelix* &c. Ex toto Epistolae, quae gravissimis sententiis ad mortis memoriam et faciendum hominis christiani et sacri officium hortatur, contextu patet, consolatoriam esse, ad Episcopum aliquem de Fratris obitu exaratam. Plus neque illa subpeditat, neque est, qui illius meminerit. Extrema